



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Vnde oriatur amor Dei, 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

in alios dirigit radios puri amoris. O amantissime Domine Iesu Christe, unde omnis defluit amor, ego sceleratissimus peccator semper frigidus fui, & ab amore multipliciter elongatus; singularis fui & sequestratus, ac sine amore & delectatione degens; adeo quod frequenter etiam vixi cum odio & similitate. Adjuvare ergo me digneris per tuum dulcissimum amorem, & accendere cor meum ad amorem tibi placitum; ut amem & diligam, quæ amare & diligere debeo: ut viam amoris in te amando consequar sempiternam, Amen.

CAPVT II.

Vnde oriatur amor Dei.

O Ritur amor (dulcissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris) velut lachrymæ, quæ ab oculis in pectus cadunt: quia ab intellectu amor oritur, & cadit in cor per fidem. *Sic Sancti per fidem vicerunt regna!* Fides enim sanctissimum bonum est humani pectoris; quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur, nec ullo corrumpitur præmio, sed est firmamentum stabilitatis & constantiæ in animo. Oritur amor à gratia Dei Patris, sicut tu Domine Iesu Christe amantium vita dixisti: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum: scilicet per gratiam, ad mei amorem.* Intrat vero amor mentem hominum per auditum aurium. Quia dum de aliquo bona aliqua audiuntur, ex ipso auditu concipitur amor in corde audientis, ad diligendum illum. Oritur amor per locutio-

nem

nem bonam; quia principium amicitiae est bene loqui: male vero dicere, exordium inimicitarum. Oritur amor per bona obsequia, praestita invicem & recepta. Nam qui obsequium praestare nescit, injuste petit, imo etiam in odium cadit.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui omnia diligis: si ista in corde meo continua meditatione cogitarem, super omnia diligere te deberem: videlicet per fidem, quae sic tibi placet, quod per ipsam omnes sanas & salvas, quia dicis: *Fides tua te salvum fecit*, & sine illa nemo tibi placere potest. Oritur etiam amor ad te amandum per auditum, quia de te scriptum est: *Qui audit me, non confunditur*. Sed beati sunt qui audiunt, & qui te vero amore diligunt. Oritur etiam amor ad te diligendum, per beneficia à te multipliciter nobis collata. Quia quicquid boni habemus, à te habemus: ultra multa dona te ipsum nobis dedisti; quum de caelo propter nos descendisti, te ipsum exinaniens, & formam servi accipiens, minoratus paulo minus à Deo; quum etiam propter nos convitia, flagella, opprobria, contumelias, sputa, & tandem mortem turpissimam crudelissimamque sustinuisti. Sed ego ingrattissimus peccator, licet tanta & tam magnifica dona tua cognoverim, & originem tanti amoris viderim, tibi tamen pauca aut nulla dona rependere curavi. Sed totus ingratitude plenus, tanquam quodammodo inimicus adversum te me posui: tibi contraria & displicentia,

corde, voce, & opere exercendo. Adinvet igitur me (clementissime Domine Iesu Christe) amor tuus, remittendo quæ inique egi: & inflammet ad amorem tuum dulcissimum: ut te timendo & efficaciter diligendo, tibi placita agam fœliciter, & adimpleam; iniqua autem toto corde & opere respuam: ut ad regnum perpetuo te amantium perveniam sempiternum, Amen.

CAPUT III.

Qualiter nos Deus dilexit.

1. **D**ilexisti & amasti nos dulciter, (benignissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris) dum carnem nostram mortalem humiliter induisti sola dilectione & amore inductus. Dilexisti nos sapienter, ô amantium vita Domine Iesu Christe; quia carnem nostram mortalem induendo, omni peccato caruisti. Dilexisti nos fortiter, quia mortem turpissimam & crudelissimam pro nobis miseris voluntarie sustinuisti. Et licet nos in carne visitaveris, non tamen carnaliter amasti, sed in prudentia spiritus. Itaque quos in carne quærivisti, dilexisti in spiritu, & redemisti in virtute. In carnis autem assumptione accommodasti te nobis, in culpæ vitiatione consuluisti tibi, & in mortis susceptione satisfecisti Deo Patri: Et sic Domine Iesu Christi, vita nostra, amicus dulcis, consiliarius prudens, & adiutor fortis fuisti. Et nisi amasses nos dulciter, non requisisses in carcere. Sed adjunxisti affectioni & dilectioni sapientiam, qua tyrannum de-

cepisti: